



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Œcumenica Cathedræ Apostolicæ Avthoritas**

**Reding, Augustin**

**[Ort nicht ermittelt], Anno M.DC.LXXXIX.**

Disquisitio III. An non Papæ duntaxat, sed etiam Episcoporum jurisdictio  
sit immediatè à Christo?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38717**

directivam, ex Legis Æternæ influxu & concur-  
su cuique legi humanæ imprimi consuetam,  
atque conscientie summi quoque Principis  
obligatoriam: pro abrogatione huiusmodi  
proflus necessarium esse causam rationabilem,  
quæ respiciat Bonum Commune, evincitur  
ex cit. leg. 1. ff. De constitut. Princip. & Can. Non  
debet. De consanguin. & affinit.

DISQUISITIO III.

An non Papa duntaxat, sed etiam Episcopo-  
rum jurisdictio sit immediatè à  
Christo?

§. I.

1. Causa, propter quam præsens disquisitio  
præsenti articulo sit meritò discutienda,  
refertur ab Authore tract. de libert. Eccles. Gal-  
licane lib. 8. cap. 8. n. 2. quod nempe animad-  
vertisset, Illustrissimos Episcopos Parisijs  
congregatos, suam in Deum jurisdictionem  
referre tum maxime conatos fuisse, cum iustis  
Summi Pontificis decretis repugnabant, quasi  
ab ea censura tuti videri vellent, auctoritatem  
nimirum suam non à sancta Sede, sed à Chri-  
sto habentes, cui nequeat Summus Pontifex  
derogare, imò nec modum ponere, nisi certo  
ordine, ac cum certis formulis, quas ipsimet,  
quorum interest, impediunt.

2. Quo præsupposito, Author præcitatus à n.  
3. pergit hunc in modum causæ præsentis sta-  
tum profequi. Potestatem, inquit, juris-  
dictionis absolutè, ac in se consideratam, à  
Christo ipso fuisse institutam, testantur hæc  
Evangelij verba: Amen dico vobis, quæcumque  
alligaveritis super terram, erunt ligata & in celo:  
& quæcumque solveritis super terram, erunt soluta  
& in celo. Matth. 18. v. 18. Quamobrem eti-  
am Presbyteri ex Episcoporum commissione  
confessiones audientes, dum quempiam ab-  
solvant, ex præscripta in Rituali forma, se id  
auctoritate Christi præstare, declarant. Do-  
minus noster Iesus Christus te absolvat, & ego aucto-  
ritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommuni-  
cationis, &c. Equidem quis potest peccata di-  
mittere, nisi solus Deus? Quis nisi solus De-  
us potest illorum dimittendorum facultatem  
tribuere? Concilium Tridentinum Sess. 23.  
de Reform. expressè declarat, quòd Presbyteri  
in sua ordinatione à peccatis absolvendi potestatem  
accipiunt.

3. Sed quantum ad propagationem, seu  
communicationem jurisdictionis, prout ab  
Ordine distinguitur, si, ut communiter ex-  
plicatur, nihil aliud sit, quàm assignatio, &  
subjectio subditorum, in quos exerccatur à  
Christo instituta regendi Populi auctoritas,  
non videtur posse cujusvis Episcopi jurisdictio  
ad Christum immediatè referri. Quòd enim  
hi, vel illi fideles ad hanc Diocesim pertine-  
ant, ex institutione Divinà non provénit.  
Christus Ecclesiam suam in Patriarchatus,  
Provincias, Dioceses, aut Parochias non di-

stribuit. Facta est ergo hæc subditorum as-  
signatio ab Apostolis, præsertim à B. Petro,  
vel ab ejus successoribus, quando Episcopis,  
quos mittebant, certam aliquam Parochiam,  
Provinciam, vel Diocesim regendam assigna-  
runt, eaque assignatio ad Episcoporum sic  
missorum successores transijt, ut scilicet eam  
Provinciam, vel Diocesim, non aliam, sub-  
ditam haberent. Quòd quid aliud est, quàm  
jurisdictionem accipere, in eo sensu, quem  
suprà diximus? Hæc enim Parochiarum, vel  
Provinciarum distinctio, non ad solam poli-  
tiam externam pertinet, sed ut valeant, quæ  
ab Episcopis constituuntur, ordinationes, aut  
censuræ, & quæ conceduntur dispensationes,  
absolutiones, & alia huiusmodi, quæ nulli-  
us essent momenti, si ab Episcopis præstaren-  
tur extra propriam Parochiam, ac erga sibi  
non subditos.

4. Itaque dum à Summo Pontifice uniorur  
Episcopatus, confertur jurisdictio Episcopo;  
quandoquidem ei subijciuntur fideles, in quos  
potest post unionem, cum antea non posset,  
munia Episcopalia exercere; cum autem di-  
viduntur Episcopatus, subtrahuntur Episcopo  
subditi, in quos jam non poterit, cum posset  
antea, jurisdictione uti. Sicut ergo institutus  
jam Episcopatus, Papa unione, vel divisio-  
ne jurisdictionem Episcoporum auget, vel mi-  
nuit; ita dum Episcopatus primò constituitur,  
jurisdictionem primis Episcopis contulit.  
Qui autem Episcopatum deinde adepti sunt,  
vel à Romano Pontifice promoti sunt, atque  
ita jurisdictionem ab eo immediatè receperunt:  
vel ab ijs constituti sunt, quibus Sum-  
mus Pontifex hanc concesserat facultatem,  
atque adeò per Summi Pontificis auctorita-  
tem.

5. Indubitatum est post Concilium Triden-  
tinum, posse Summum Pontificem certorum  
casuum absolutionem sibi reservare: ita ut,  
si post illam reservationem Episcopi absolvere  
tentarent, etiam proprios Diocesanos, nihil  
efficerent: potest, factà reservatione, Episco-  
po facultatem impertiri ab illis casibus absol-  
vendi. Non posset autem Summus Pontifex  
in huiusmodi casibus jurisdictionem Episco-  
pis adimere, vel concedere, si eam à jure Di-  
vino haberent; non posset fideles subditos,  
non subditos, quantum ad casus reservados,  
efficere, si Deus subdidisset.

6. Potest etiam Summus Pontifex, dum ju-  
sta intercedit causa, jurisdictionem Episcopis  
auferre, eos deponendo; imò potest, licet  
non debeat, etiam sine causa, jurisdictionem  
restituere, illos in pristinum statum reponen-  
do. Pendet ergo illorum jurisdictio à Sum-  
mo Pontifice. Neolicet Evcharistiam vali-  
dè conficiant, quantumvis justè à Pontifice  
prohibiti, & quantumvis conscienties peccent;  
solvere tamen, vel ligare in neutro foro pos-  
sunt, justè vetante Summo Pontifice, quia sci-  
licet primum est de jure Divino, secundum,  
quantum ad materiam, in quam exercendum  
est, à Summo Pontifice derivatum.

7. Nec dicas, datam esse summo Pontifici to-  
tius Ecclesiæ curam, ita ut possit secundum  
rectam

rectam rationem, & præscriptum sacrorum Canonum, Episcopos corrigere, sibi casus reservare, Episcopatus unire, vel dividere; hinc tamen non rectè inferri, jurisdictionem, quam Papa demit, authoritatem dedisse: sicut enim potest iudex per suam sententiam vitam auferre, quam non dederat: ita & Pontifex Episcopalem jurisdictionem, quam non communicaverit, tollere potest, in pœnam criminis. Sed maxima disparitas est. Possunt enim iudices vitam auferre tantùm, non ablatam reddere, quia nec dare poterant. Papa verò, ut jam diximus, jurisdictionem tollit, & sublatam reddit; quod datam ab eo fuisse, arguit.

8. Respondebis, Papam quidem posse iustà de causâ Episcopos jurisdictione spoliare, non autem sine causâ; quod signum est, illam à Deo, non autem à Pontifice, saltem *absolutè*, pendere. Si enim Episcopus injustè depunatur, *validè* suâ jurisdictione uti poterit, etiam invito Summo Pontifice. Sed ex eo argumento istud tantùm efficitur, Summum Pontificem non adedò liberum esse, ad tollendam jurisdictionem, ubi eam largitus est, ut ad retinendam, antequàm imperitus fuerit, quod nemini mirum videri debet; cùm etiam in regimine politico iudices quidem delegati revocentur ad nutum; ordinarij autem, non sine causa, ut sæpe præjudicatum esse legimus in Senatus-Consultorum collectoribus, adversus Dominos temporales; imò etiam aliquando adversus Episcopos, aut alios Superiores Ecclesiasticos.

9. Gallicani Præfules litteras, quibus Beneficia Parochialia conferunt, eâ formâ conficiunt, quâ Theologorum Parisiensium opinionem, jurisdictionem Parochorum de jure Divino esse afferentium, non assentiri se significant, sed potiùs se jurisdictionem Parochis tribuere, dum Parochiam conferunt; e jus tamen sine causâ revocandæ facultatem omninò non habent. Uterentur enim non raro. Reponunt fortassis, id ita ab Ecclesia statutum esse, ac ob defectus similis statuti se reliquis Presbyteris Beneficium non obtinentibus liberimè jurisdictionem vel negare, vel annuere, vel auferre, vel prorogare: sed si à Deo provenit, quòd Episcopi jurisdictionem Parochis impertiant, quomodò ab Ecclesia coarctari potest hæc eorum facultas? Porrò non minùs ab Episcopo conferri videtur jurisdictionis sacerdoti, dum ad vitam, quàm dum ad tempus tantùm conceditur, licèt in primo casu difficultiùs revocetur.

10. Plurimùm defudavit Illustrissimus Petrus de Marca *lib. 1. cap. 7. & alibi in* restringendis ordinationibus Metropolitanorum & Episcoporum à Romano Pontifice consecrandorum intrâ Regionem suburbicarias, volens scilicet juxta Ruffini, & Interpretis Dionysio antiquioris verba, Canonem 6. Concilij Nicæni comparationem inter Patriarchas Alexandrinum & Romanum ita instituisse, ut Alexandrinus in toto suo Patriarchatu eandem obtineret potestatem, quam Romanus, non in toto Occidente, sed in solis Ecclesijs subur-

bicarijs, in quibus & ordinationes Episcoporum faciebatur, & Congregationes Synodorum; quo discrimine videtur insinuare, majorem esse Summi Pontificis, etiam tanquam Patriarchæ Occidentis, authoritatem in suburbicarias, quàm in reliquis Occidentis Ecclesijs. Unde posset fortassis aliquis suspicari, Episcoporum suburbicarij jurisdictionem à Patriarcha Romano, à quo ordinantur, pendere; non autem aliorum v.g. Gallicanorum.

Sed impossibile est, quantumcumque se torqueat Marca, & quantumcumque amplectatur Regionum suburbicariarum acceptionem, cùm eas detoto Occidente nolit intelligere, ut possit aliquam Imperij divisionem assignare, in qua suburbicariæ regiones exactè Ecclesias omnes complectantur, quarum Episcopos Romanus Pontifex ordinabat. Res est evidens, si Regiones suburbicariæ juxta magis propriam acceptionem intrâ centenarium ab urbe miliarium concludantur, idque fateri videtur ipse Marca *num. 6.* cùm locis suburbicarijs etiam totam Metropolim Romanam non comprehendi, agnoscat. *Per loca suburbicaria, inquit, Regiones illas quatuor intellexit, quæ aliquot civitatibus adjectis, integram Metropolim Romanam à 69. Episcopatibus constitutam constituunt.* Sed quid de Ecclesijs Mediolanensi & Aquilejensi dicit, & de toto Illyrico?

Veram discriminis in Episcoporum Occidentalium ordinatione rationem jam assignavimus, quòd nimirum Gallia, & aliæ Patriarchatûs Occidentalis provinciæ ita erant Romanâ remotæ, ut ordinandi Episcopi commodè illuc accedere non possent, nec tam erant alteri Patriarchæ vicinæ, ut usurpationis esset periculum: quare permissa est Metropolitanis Episcoporum, & Episcopis Metropolitanorum ordinatio, vel Metropolitanis invicem. Cùm enim Patriarcharum jure contineantur Episcoporum ordinationes, ut probat ipse et Marca *codem cap. 7. num. 1. & 1.* cur Patriarcha Romanus eâ facultate solus careret in maxima sui Patriarchatûs parte, qui & cæteris Patriarchis dignitate Patriarchali æqualis est, & universali Primatu illis superior. Equidem Venerabilis Beda in *hist. Eccles. gentis Anglorum lib. 3. cap. 29. & alibi* tradit, Episcopos Anglicanos Romæ ordinari solitos; libro autem *2. cap. 18.* permittam, seu renovatam ab Honorio I. Episcopis Dorovernensi & Eboracensi ordinationem Episcopi in locum præmortui. *Vice B. Petri Apostolorum Principis, inquit Honorius Episc. 6.* à Beda relatâ, *authoritatem tribuimus, ut, quando unum ex vobis Divina ad se iussit gratia vocari, is, qui superstes fuerit, alterum in locum defuncti debeat Episcopum ordinare. Causam, quam diximus, assert, quia ut & vobis concederemus, longa terrarum, marisque interval, quæ inter nos ac vos obstant, ad hæc nos descendere coegerunt; ut nulla possit Ecclesiarum vestrarum jactura per cujuslibet occasionis obtentum pervenire.*

Quid quòd in alijs Patriarchatibus habenda erat etiam ratio distantis locorum, pro-

qui-

quibus ordinandi erant Pastores, ut docet Innocentius I. Epist. 18. quae est ad Alexandrum Antiochenum. Itaque, inquit, arbitramur, frater charissime, ut, sicut Metropolitanos auctoritate ordinas singulari, sic & ceteros non sine permissu, consensuque tuae sinas Episcopos procurari. In quibus hunc modum recte servabis, ut longe postea, litteris datis, ordinari censeas ab his, qui nunc eos suo tantum ordinant arbitrati: vicinos autem, si estimas, ad manus impositionem tuae gratiae firmas pervenire.

14. Praeterea si juxta regulam à Marco propositam, & plurimum commendatam; qui pertinet ad Synodum, pertinet ad consecrationem. Nonne Summi Pontifices Gallicanos Episcopos ad Concilium Romam evocarunt, aliquando cum Italiae tantum, aliquando cum aliarum Provinciarum Praesulibus? Id de S. Damaso testatur his verbis Theodoretus Ecclesiasticae Historiae lib. 2. cap. 22. Fuit autem scriptio princeps Damasus, vir varijs virtutum generibus ornatus, qui post Liberum Praesulatum Romanae Ecclesiae sortitus esset. Cum hoc faciebant ergo Episcopi Italiae, & Galatiae, quae nunc Gallia appellatur, congregati Romae, quorum, & ipsorum nomina exponere, nimis longum arbitratus sum.

15. Epistola Synodicae Agathonis Papae & Romanae Synodi 125. Episcoporum, quae fuit velut instructio Legatorum, qui missi sunt ad Synodum sextam celebendam, super scriptio erat ista: Pysimis &c. Agatho Episcopus servus servorum Dei, cum univrsis Episcopis subiacentibus Concilio Apostolicae Sedis. Ei autem subscripserunt inter alios Adeodatus Episcopus Ecclesiae Leucorum, Felix Episcopus Arelatensis, & Taurinus Diaconus Ecclesiae Telonenis Legati Synodi per Galliarum Provincias constituta.

16. Sicut autem propter locorum distantiam, non ita frequenter vocati sunt Episcopi Galliani ad Concilium Romanum, ita eadem de causa illorum ordinationem sibi non reservavit Pontifex Romanus.

S. II.

Adversariorum argumenta referuntur, ac expenduntur, una cum conclusione super istis reflexiva.

ARGUMENTUM I. Adversariorum.

Pro Episcoporum à Christo immediate accepta jurisdictione ex sacris Litteris desumptum.

17. ET enim Dominus noster Jesu Christus Apostolos misit his verbis: Euntes docete omnes gentes. Missio autem complectitur auctoritatem omnem ad ea peragenda, ad quae quis mittitur. At quemadmodum Summus Pontifex B. Petrus Apostolorum Principi succedit, ejusque potestati ad regendum Christi ovile, ita Episcopi ceteri succedunt ceteris Apostolis. Ergo quemadmodum ceteri Apostoli non à B. Petro missionem & jurisdic-

nem, sed à Christo ipso acceperunt: ita Episcopi non à Summo Pontifice, sed à Christo accipiunt jurisdictionem.

Responsio.

18. Auctor tract. de libert. Eccles. Gallic. lib. 8. cap. 12. optimè respondet, distinguendam esse in Apostolis duplicem dignitatem; Apostolicam scilicet, ac Episcopalem. Ad primam igitur pertinebat, ut Evangelium praedicerent, & Ecclesias ubivis fundarent, atque ordinarent. Ad secundam spectabat, ut Ecclesiam aliquam tanquam Pastores proprii, & ordinarij regerent, ibique munia Episcopalia obirent, sicut sanctus Jacobus Hierosolymitanae praefuit Ecclesiae, S. Joannes Ephesinae, S. Petrus Antiochena, ac postmodum Romana. Successerunt Episcopi Apostolis in dignitate Episcopali, non autem in Apostolica; quia scilicet ista non erat ordinaria, & ad successores transmittenda, sed extraordinaria, & tunc temporis necessaria, ut in omnem terram exiret sonus eorum, & in fines orbis terra verba eorum. Solius Petri auctoritas non solum tanquam Episcopi Romani, sed etiam tanquam Ecclesiae Capitis, & Christi vicarij generalis ad suos successores transtulit, quia hoc ad Regimen Ecclesiae, quod ipsius fundator optimum, atque adeo Monarchicum statuerat, erat necessarium. Ceterum in regimine Monarchico supremus Princeps officia alijs etiam Principibus distribuit, ac jurisdictionem confert. Nec refert, si dicas, Christum esse supremum Ecclesiae Principem; nam ipse quidem per se invisibiliter Ecclesiam regit, sed visibilem administrationem, qualis est gubernatio populi fidelis, ad quam requiritur jurisdicatio, visibili suo interris Vicario commisit.

Obiectio.

19. Instari potest ex parte adversa; ut ostendatur, quod Apostolica praeminentia ex solo Petro, non verò ex ceteris Apostolis transtulit ad successores Episcopos. Et quia Petrus ex ipsa sua Apostolica auctoritate primitus Antiochenam, deinde Romanam Cathedram sibi peculiariter deligebat, cur non idem pariter dicendum sit de S. Jacobo Hierosolymitanae Ecclesiae praefecto? & de S. Joanne Ecclesiae Ephesinae praeposito? Et si isti Apostoli ex auctoritate Apostolica poterant sibi deligere certam Ecclesiam, quid ni de eorum successoribus Episcopis pari modo sentiatur?

Responsio.

20. IN solo Petro auctoritatem Apostolicam fuisse ordinariam, perpetuo nempe Ecclesiae statui ex Christi Domini institutione annexam, atque adeo in successores transferibilem, in ceteris autem Apostolis se habuisse per modum legationis duntaxat personalis, atque adeo cum vita illorum expirasse, ex sacris Litteris multimodè probavimus praeced. art. L13; 2. Dis-

ordas  
edre  
ologica  
VI

*Disquis. 1. §. 2. d. n. 35.* Ex eujusmodi adeo Apostolica potestatis super totum terrarum orbem à Christo protensa plenitudine, quemlibet Apostolorum potuisse sibi deligere, atque fundare definitam quampiam cathedram Episcopalem, ac ordinariam in successores quoque transferibilem, dubitare haud licet. At eo ipso, quòd cathedræ eujusmodi Episcopales non à Christo immediatè, sed per Apostolicam auctoritatem fuerint constitutæ, manifestè hinc evincitur, Episcopalem jurisdictionem non esse immediatè à Christo. Cùm igitur in nullo præter Petri successorem intrà Ecclesiam, Apostolis ex hac vita sublatis, remanserit auctoritas Apostolica: quis enim Episcoporum Papâ inferiorum sibi arrogare aulit in definitam super omni terra, & super quocunque in Regnum cælorum ordinabili *Moralis* protensam solvendi & ligandi potestatem, Apostolici characteris propriam? Idcirco nequit jam ulla subsistere Episcopalis jurisdictio, quin oporteat, eam esse derivatam à Romano Pontifice Petri successore.

### ARGUMENTUM II.

*Adversariorum.*

Desumptum ex hoc, quòd Apostoli per orbem dispersi, Episcopos per civitates non non ipsi soli constituerint, sed alijs quoque facultatem tribuerint constituendi Episcopos.

21. **N**am B. Paulus scribit ad Titum cap. 1. *Hujus rei gratiâ reliquit te Cretæ, ut ea, quæ desunt, corrigas, & constituas per civitates Presbyteros. sicut & ego constitui tibi; sub nomine autem Presbyterorum Episcopos intelligit; subiungit enim paulò post prædicta verba; Oportet enim, Episcopum sine crimine esse, &c. Atqui S. Paulus, qui non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum, & Deum Patrem constitutus fuerat Apostolus, ut ipsemet de se testatur *Epist. ad Gal. cap. 1.* pro jurisdictione obrinendâ, nec Titum, nec alios Episcopos, vel à se, vel ab illo ordinatos ad S. Petrum misit: unde conjiceret licet, ipsorum jurisdictionem à Christo immediatè fluxisse, & si cui homini adscribenda foret, videretur potius ad S. Paulum referenda. Nec ij soli, qui ab Apostolis facti sunt Episcopi, sed & qui ab istis, & rursus qui ab alijs, Episcopalia munia gesserunt, non petiti jurisdictione à B. Petro, vel ab ejus successoribus.*

### Responsio.

22. **A**uthoritatibus de libertate. *Eccles. Gallicana cit. cap. 12. n. 2.* ita respondet. Præterquam, quòd Apostolica potestas in cæteris à Petro Apostolis erat extraordinaria, ut diximus, & non poterat ullus Episcopus creari, qui à supremo Ecclesiæ Pastore non penderet in regimine ovium Christi: quid mirum est, si primis Ecclesiæ temporibus Summi Pontifices in cavernis frequentissimè lautantes, quasi furim, pauca tantùm Pastoralis officij mu-

nera exequi per se potuerint; totius terrarum orbis non ita specialem curam gesserint, atque illius curæ authentica monumenta ad nos usque non pervenerint? B. Petrus, antequàm Apostoli varias in partes proficiscerentur, ac postmodùm B. Petri successores alij expressè, alij tacitè consenserunt, ut Episcopi, quotquot ad populorum recens conversorum regimen essent necessarii, ordinarentur, & ad eam Ecclesiæ portionem destinarentur, cui satis esse possent. Verumtamen ut potestatis origo nunquam ignoraretur, Summi Pontifices aliquod superioritatis signum in Patriarchas, Primates, sæpe etiam in Metropolitanos, à quibus inferiores Episcopi ordinabantur, sibi reservarunt; puta pallij concessionem, aut ordinationem ipsam. Apostolos omnes Ordinem Episcopalem, cujus effectus est, alios posse ordinare, à B. Petro recepisse, nonnulli sentiunt. De B. Paulo, cujus speciatim exemplum opponitur, S. Leo *Epist. 81. cap. 1.* scribit, quòd cum Apostoli Paulum & Barnabam ex præcepto Spiritus sancti ad Evangelium gentibus mitterent predicandum, jejunantes, & orantes imposuerunt eis manus. Cùm autem B. Petrus Antiochiæ, ubi, constat *ex cap. 13. Act. Apostolorum*, ordinatum fuisse B. Paulum, cathedram collocasset, essetque specialis Episcopus illius Ecclesiæ, Pauli ordinatio B. Petro meritò adscribitur. Ita expressè pronuntiavit Arator Subdiaconus Ecclesiæ Romanæ *an. 544. hist. Apostolica lib. 2.* Itaque jam tum inter se concessisse beatos illos Apostolos de ordinandis Ecclesijs, verisimillimum est; sicut postea dexteras sibi societatis dederunt; cùm unus Judæorum, alter Gentilium specialio rem curam suscepit. Cæterùm præsens etiam sæculus B. Petri, eujusque successo um non solum consensu, sed etiam auctoritate, præpositos esse Ecclesijs Pastores, loquitur sequentium temporum praxis, quibus Summi Pontifices suam liberius exercuerunt auctoritatem. Nam Episcopus & Archiepiscopus in Provincijs, in quibus vel non fuerant, vel defecerant, statuentes, ordinationis, ac regiminis regulas, & potestatis mensuram præscriperunt, ac juris sui signum aliquod sibi reservarunt.

### Objeçtio.

**I**nstari potest ex parte adversa; ut ostendatur, jurisdictionem Episcopalem ita pendere ab Apostolica, solum Petri Successori jam comperente auctoritate, ut non æquè ac potestas Ordinis independenter ab ista possit propagari, ita ut quemadmodùm per impositionem manuum Episcopaliū potest ordinari Episcopus, sic non æquè possit unus Episcopus alterum creando, ipsi impertire jurisdictionem Episcopalem. At ordinatio Episcopi reducenda est in Christum seu immediatam ejusdem causam principalem, Episcopo ordinante se habente ad illam ad instar causæ dontaxat instrumentaria, sicque adeo character Episcopalis meritò dicendus est, esse immediatè à Christo. Cur igitur

igitur non pari ratione dici possit, quemlibet Episcoporum ex vi sui characteris Episcopalis ita habere potestatem in Christi Corpore mysticum, seu Ecclesiam, ut conferendo Ordinem Episcopalem, quâ instrumentum Christi, conferat simul jurisdictionem super mystico Christi Corpore, nempe Ecclesia, sicque adeo Episcopus in sui ordinatione æque jurisdictionis ac Ordinis accipiat potestatem immediatè à Christo?

Responsio.

24. Jurisdictionis potestatem minimè annexam esse characteri Episcopali, manifestè patet ab exemplo Pauli Apostoli, qui Apostolicæ potestatis jurisdictionem per modum legationis immediatè acceperat à Christo, priusquam à Petro fuerat consecratus Episcopus. Eandem jurisdictionis, atque characteris Episcopalis separabilitatem probat etiam sanctæ Ecclesiæ praxis in ipso Summo Pontifice, qui quamprimum designatus est Petri Successor, immediatè à Christo accipit Apostolicæ potestatis plenitudinem, tametsi nondum esset consecratus Episcopus. Unde apertè evincitur, in characteri Episcopali eatenus esse vim instrumentariam Christi principali & immediatè causalitati subordinatam propagandi in Ecclesia similis characteris, quoniam ex hoc consequens sit, oportere, eidem inexistere vim instrumentariam Christi immediatè causalitati subordinatam, propagandi in Ecclesia jurisdictionem Episcopalem. Neque verò dum partim Episcopalis character ad Episcopalis jurisdictionis propagationem haud voluitur habere vim à Christo immediatè concessam, partim authoritas Apostolica super totum Christianum orbem potestas, soli Oecumenico Pastoralis officio ad unum Petri successorem transferibili, est annexa, jam est ulla intrâ Ecclesiam excogitabilis potestas, à qua derivari valeant jurisdictiones Episcopales.

ARGUMENTUM III. Adversariorum.

Desumptum ex 2. Timothei 1. capite.

25. Tenim S. Paulus B. Timotheum ad Episcopalia munia ritè obeunda exhortans, solius impositionis manuum mentionem facit; Admonet te, inquit 2. Timoth. 1. ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum. . . . Collabora Evangelio secundum virtutem Dei, qui nos liberavit, & vocavit vocatione suâ sanctâ. Non, ait, à me, sed per impositionem manuum mearum; quia, licet ministerium Pontificum necessarium sit ad ordinationem & commissionem regiminis animarum: non est tamen jurisdictionis causa, sed quemadmodum in Baptismo, licet Petrus baptizet, ut inquit Augustinus, hic (Christus) est, qui baptizat; Paulus baptizet, hic est, qui baptizat, &c. Ita in ordinatione manus ab Episcopis imponuntur, sed à Deo gratia infunditur, & potestas conferitur.

Responsio.

26. Auctor præallegatus cit. cap. 12. n. 3. ita responderet. Hæc S. Pauli verba esse intelligenda de potestate Ordinis, quæ conferitur, per manuum impositionem Sacramentalis ligni, vim eo ipso obtinentem, quod sit collativa gratiæ. Nec refert, quod subinde minorum Episcopatum sit mentio, tum quod utraque potestas eodem tempore conferretur, & qui ordinabatur, ad certæ plebis regimen jam destinaretur; tum quod gratia, quæ per ordinationem conferretur, ad exequenda ritè officia Episcopalia, sit admodum necessaria; tum denique quia potestas jurisdictionis in plerisque supponit potestatem Ordinis.

Obiectio.

27. Instari potest ex parte adversa. Eundem Apostolum expressè declarare Act. 20. Spiritum sanctum posuisse Episcopos, regere Ecclesiam Dei. Quod ad jurisdictionem pertinere, non ad Ordinem.

Responsio.

28. Auctor præallegatus n. 4. optimè reponit in hæc verba. Sunt certè à Spiritu sancto positi Episcopi ad regendam Ecclesiam Dei, quia conferitur illis in ordinatione Spiritus sanctus cum magnâ gratiarum copiâ, & characteris impressione, quibus apti sunt ad Episcopales functiones, non tamen inde inferitur, jurisdictionem à Spiritu sancto immediatè conferri. Quilibet enim sacerdos & characterem, & nisi obicem ponat, Spiritus sancti gratiam percipit, dum ordinatur: jurisdictionem tamen ab Episcopo habet, ut in Parochia, vel Diocesi Pœnitentiæ sacramentum ministret. Adde, quod verba illa non à Spiritu sancto collatam Episcopis jurisdictionem, sed inspiratam eorum electionem significant, ut colligitur ex Act. cap. 13. ubi Pauli & Barnabæ missio tribuitur & Spiritui sancto tanquam suggerenti, & ordinationibus tanquam suggestis exsequentibus, & immediatè mittentibus juxta illa verba: Ministrantibus autem illis Domino, & jejunantibus, dixit illis Spiritus sanctus; segregate mihi Paulum & Barnabam, in opus, ad quod assumpsi eos. Tunc jejunantes, & orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos. Et ipsi quidem missi à Spiritu sancto abierunt Seleuciam, &c. Observant Doctores, Ecclesiæ ministros ex specialis Spiritus sancti revelatione tunc creati solitos; ideoque illorum electionem Spiritui sancto peculiariter adscribi.

29. Cùm supra dictum sit; Apostolos indiscriminatim Ecclesias fundasse, Pastores illis præposuisse, hisque jurisdictionem contulisse, argui posset, Episcoporum jurisdictionem ad alios Apostolos, eorumque successores, perinde ut ad S. Petrum esse referendam. Sed præterquam, quod stabit semper, jurisdictionem Episcopalem non esse immediatè de jure Divino, contra quam contendunt Antifilites Gallicani, nihil eos hoc argumentum juvat; quippe cùm, ut sæpe inculcavimus, ex S. In.

Innocentio, nullus, præter B. Petrum, aut ejus successores, in Gallijs Ecclesias constituerit: imò, qui ab alijs Apostolis constituti sunt Prælati, eos à B. Petro jurisdictionem habuisse, docet S. Bonaventura Opusc. *Quare Fratres Minores prædicent, & confessiones audiant.* Dominus Iesus Christus, inquit, omnium Creator, & Governator, sanctam Ecclesiam suam ascensurus in caelum, Apostolis regendam, & dilatandam commendavit, principaliter B. Petro Apostolo, cui de universo grege fidelium specialiter dixit tertid; *Pasce oves meas. Sed ut ordinatius gubernaretur universalis Ecclesia, distinxerunt eam sancti Apostoli per Patriarchatus, Primatus, Archiepiscopatus, Parochias, & alias Canonicas distinctiones; ut, quia per paucos non poterat singulis fidelium in omnibus saluti necessarijs congruè satisfieri; plures ad hujus sollicitudinis partes per determinatos sibi limites pro utilitate animarum vocarentur. Et secundùm curæ Pastoralis amplitudinem, etiam quilibet istorum accepit certam auctoritatis potestatem, residente plenitudine potestatis Ecclesie apud Sedem Apostolicam Romanæ Ecclesie, cui Apostolus Petrus Princeps Apostolorum specialiter prædicit, & successoribus suis ibidem eandem potestatem reliquit. Triplex est autem hujus potestatis plenitudo, scilicet quòd ipse Summus Pontifex solus habet totam plenitudinem auctoritatis, quam Christus Ecclesie contulit, & quòd ubique in omnibus Ecclesijs habet illam, sicut in sua speciali Sede Romana, & quòd ab ipso manat in omnes inferiores per universam Ecclesiam omnis auctoritas, prout singulis competit eam participari, sicut in caelo ab ipso fonte totius boni Christo Iesu omnis gloria Sanctorum, licèt eam differentes singuli participant pro capiti suo, &c.*

ARGUMENTUM IV.  
Adversariorum.

Desumptum ab absurdis securis, si omnis jurisdictio Episcopalis derivaretur à Papa.

30. **S**I namque jurisdictio Episcoporum à Papa esset, eam facile posset tollere, imò sine causa, si non licèt, saltem validè, essetque vendendum, ne eos non ut fratres, sed ut vicarios haberet.

Responsio.

31. **A**lthor præcitati tractatus dicto cap. 12. n. 6. respondet. Quamvis Summus Pontifex proximus sit Episcopalis jurisdictionis collator, non eam Præsulibus confert quasi vicarijs, licèt eo nomine glossæ aliqua utantur, sed quasi Pastoribus ordinarijs, ut eam non ejus, sed proprio nomine, ac jure exercent. Sicut enim, licèt Rex Senatui, aut Proregi, vel Toparchæ jus concederet, judices, aliòsve Officiales ordinarios ad regimen populi, creandi, eisque jurisdictionem cum officio ac titulo conferendi, præsertim, si officia ipsa ille instituisset, quorum collationem cederet, non continuo tamen arbitrio

Senatùs, Proregis, aut Toparchæ permittere facultatem, creatos semel Officiales absque ulla legitima causa revocandi: ita Christus, qui Episcopatus est institutor, quique per Episcopos Ecclesiam administrari voluit, etiam si Petro, ejusque successoribus tanquam supremis Pastoribus, Episcopatum particularem, & Episcoporum institutionem commiserit, nequaquam tamen eis (quasi Episcopus Romanus unicus Pastor esset, & alij ejus tantùm Vicarij, ac Commissarij, non verò Pastores) jus tribuit, ad libitum cæteros amovendi. Nec id unquam fenserunt Summi Pontifices, sed potius magnam suæ dignitatis partem in eo posuerunt, ut unicuique Episcopo salva esset sua dignitas, & integra privilegia, nisi forte crimine aliquo ipsi privari mererentur. Ita sæpe SS. Leo, Gregorius, aliique Maximi, sanctissimique Pontifices, & verbis & operibus protellati sunt.

Sanctus Leo Episcopis Provinciæ Viennensis scribebat epist. 89. se maximam ex servatis illorum juribus lætitiâ percipere. *Nostri enim, inquit, gratulationi hoc solum crescere profitemur, si & Apostolica Sedis diligentia apud vos liberata servetur (ordinatio) & per sacerdotalis discipline concordiam honori vestri perire, quod iustum est, in proprijs usurpationibus non sinamus.*

Sanctus Gregorius Magnus ita Episcoporum non solum jura salva cupiebat, sed & dignitatem, & honorem, ut se Universalem Papam ab Episcopis vocari, ægre ferret, hoc præcipue ratione, quòd, si Universalis ipse diceretur, solus etiam fortasse putaretur. En ipsius verba, humilitatis, tanto viro dignæ, plena in epist. 30. lib. 7. quæ est ad Eulogium Episcopum Alexandrinum; *superbe appellationis verbum, universalem me Papam dicente, imprimere curatis, quòd, peto, dulcissima mihi sanctitas vestra ultra non faciat, quia vobis subtrahitur, quòd alteri, plus quam ratio exigit, præbetur. Ego enim non verbis quero prosperari, sed moribus; nec honorem esse depreo, in quo fratres meos honorem suum perdere cognosco. Meus namque honor est honor universalis Ecclesie. Meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tunc ergo verè honoratus, cum singulis quibusque honor debitus non negatur. Si enim universalem me Papam vestra Sanctitas dicit, negat, se hoc esse, quòd me fatetur universum. Tam altè sanctissimi hujus Pontificis animo impressa erat affectio illa, ut eam non semel significaverit. Mihi ipsi, inquit lib. 2. epist. 37. injuriam facio, dum fratrum meorum jura perturbato.*

Si, ut testatur ipsemet Maximus Pontifex, animarum cura est onus Angelicis humeris formidandum, non expedit ei, qui omnes totius orbis terrarum homines, velut oves Pastori pascendas à Christo ipso sibi traditas, non dubitat, ut alios Pastores impediat, dum greges sibi specialiter committos juxta sacerdotum Canonum normam custodiant: sed ut illos hortetur, juvet, vel etiam protegat, ac novis favoribus augeat. Debet nihilominus datam sibi à Christo, & ab Ecclesia

clesia universa confirmatam, seu publicè, atque solenniter recognitam auctoritatem vindicare, ne ambitiosorum conatibus infringatur, aut enervetur, quod S. ipse Gregorius observabat; Sicut, inquit epist. 39. lib. 2. nostra defendimus, sic omnibus Ecclesijs sua jura servamus. Noverat documentum, quod Pastoribus in lib. de cura Pastoralis proposuerat, in usum, dum opus esset, redigere; ut scilicet se superiorem meminisset, & severitatem adhiberet; sed modum servabat, quem etiam ipse præscripsit in eodem lib. de cura Pastoralis parte 2. cap. 6. his verbis; Sit ReCTOR bene agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum justitiæ erectus, ut & bonis, in nullo se præferat, & cum pravorum culpa exigit, potestatem protinus sui Prioratus agnoscat, &c.

Tanta est in eo præcepto æquitas, ut ja nemine negetur. Nam & Summi Pontifices se animarum servos esse, non Dominos exemplo Apostolorum arbitrantur. Servos vestros per Christum, inquit S. Paulus 2. Corinth. 4. v. 5. Servus servorum Dei, ait Pontifex; unde consequitur, eum Episcopis, portiones gregis Christi suæ curæ demandatas rectè administrantibus non invidere, non obflare, sed auxiliari debere, quodque illi rectè gerant, sibi in tremendo Dei judicio profuturum æstimare.

Objectio.

6. Instari potest ex parte adversa. Episcopos tanto muneris sui onere prægravatos, majus ad hoc gravamen subire, si quoad jurisdictionem suam Episcopalem pendere debeant ex Summo Pontifice.

Responso.

37. PRæfatus Author ubi supra n. 11. ita respondet. Episcopi sine injuria conqueri nequeunt, quod Summus Pontifex sibi à Christo præpositus sit: gaudere potius debent tanquam de maximo beneficio, quod, cum ipsi tot animarum constituti sint Pastores, saltem unum supra se Pastorem habeant, qui dormitantes excitet, laborantibus opem ferat, afflictos consoletur, persecutionem patientes defendat, onus cum eis portet, rationem cum eis redditurus; imò qui eos errantes revocet, ac etiam reos plectat, ut & illorum salutem & gregis eis crediti utilitatibus consulat. Nam, ut monet S. Leo in Epist. 84. Qui scit, se quibusdam esse præpositum, non molestè ferat, aliquem sibi esse prælatum: sed obedientiam, quam exigit, etiam ipse dependat.

38. Iniquum esset, ut Summorum Pontificum humilitas, ac modestia, minus promptos ad reverentiam, aut obedientiam efficeret. Certè S. Gregorius humillimus, ac mansuetissimus, quamvis juxta proprium præceptum omnibus bonis se præberet æqualem, aliorumque Pastorum honorem, suum duceret, omnium tamen se superiorem profitebatur, dum id ejusvis culpa exigeret. Nam Epist. 65. lib. 7. quæ est ad Joannem Episcopum Sy-

racusanum, sic scribit, occasione Episcopi Byzaceni Provinciae Africae, de crimine accusati; Quod se dicit Sedi Apostolicae subiecti, & si qua culpa in Episcopis invenitur, nescio quis et Episcopus subiectus non sit.

CONCLUSIO.

39. In Episcopatus præ eminentia necessario distinguenda est potestas Ordinis, & jurisdictionis, ita ut illa, non verò ista dici debeat esse immediatè à Christo, utpote collata per verum, proprieque dictum Sacramentum.

Explicatur. Ex vi Ordinis Episcopalis tanquam veri & proprie dicti Sacramenti duplex confertur effectus, gratia scilicet sanctificantis, & characteris impotentis potestatem conferendi Sacramentum Confirmationis & Ordinis, cum radicali erga Ecclesiæ regimen habitudine, quæ ut sic est utique juris Divini, ac immediatè à Christo, quæ causâ principali, ab Episcopis verò ordinantibus tanquam à causâ instrumentariâ Christo subordinatâ. Quamvis proinde potestas jurisdictionis in Episcopo sit radicaliter juris Divini, attamen secundum actuali suam ad certos aliquos subditos habitudinem, est juris duntaxat Ecclesiastici, siquidem jurisdictio Episcopi eatenus sit subordinata Apostolicæ Summi Pontificis auctoritati, ut quam ex jure Divino Episcopus habet quasi in radice, seu habitu, eandem quasi in actu cum ordine ad certam aliquam Dioccesin, immediatè accipiat à Papa, qui eam etiam limitare, & coarctare potest; uti Author tractatus de libertat. Ecclesiæ Gallicanæ lib. 8. cap. 9. solidis demonstrat argumentis, quæ judicamus dignissima, utin hoc opere nostro producamus.

PROBATIO I.

Desumpta ex hoc, quod jurisdictio Episcopalis non sit connexa cum Episcopali Ordine.

40. ET enim Episcopalem Ordinem sine titulo, id est, sine assignata plebe, quæ regenda sit, atque ad eodè sine jurisdictione conferri valide posse, quamvis non expediat, docet Joannes Gerfonius tractatu de statibus Ecclesiasticis considerat. 3. de statu Prælatorum. Status Episcopalis, inquit, licet esse possit in aliquo sine plebe, & sine usu, vel exercitio, hoc fieri non convenit, quia vanum & monstruosum in Ecclesia videretur; quoniam frustra esset potestas, cui non subest operatio. Ubi notanda est distinctio inter non habere plebem, & non habere usum, vel exercitium; ne quis verba Gerfonij accipiat de Episcopis, quos Titulares vocant, qui licet usu, & exercitio suæ jurisdictionis careant, tamen sine plebe proprie non sunt. Ordinantur enim ad aliquam Ecclesiam in partibus infidelium existentem: nec eorum ordinatio monstruosa censeri debet; tum quod possint infideles illi ad fidem converti etiam ipsorum Episcoporum

M m m

porum



porum prædicatione, tum quodd interim illorum Episcoporum opera necessaria sit Episcopis in partibus fidelium alicui diocesi præpositis, cui regendæ propter senium, infirmam valetudinem, aliãve causam impares sunt.

41. Pater Christianus Lupus in Canonem 6. Concilij Chalcedonensis id non solum fieri validd posse, sed factum fuisse aliquando, colligit ex Sozomeno. Sic autem scribit Hermias Sozomenus Hist. Eccles. lib. 6. cap. 4. Adde his Barsen, & Eulogium, qui ambo post creabantur Episcopi non urbis alicujus, sed honoris causâ, qui veluti vitæ piæ antea hæ compenlatio in proprijs Monasterijs, illis deserebatur, ad quem modum Lazarus quoque, de quo supra diximus, Episcopus fuit. Idem refert, iisdemque ferè verbis Nicephorus Callistus lib. 11. cap. 40. Existere præterea Barses, & Eulogius, qui ambo post longum Monastici exercitij certamen Episcopi sunt facti, non in urbe aliqua, sed honoris gratiâ in Monasterijs suis Episcopalem consecuti sunt consecrationem: ita ut retè aliquis dignitatem eam tanquam præmium, seu remunerationem philosophandi instituto eos accepisse dicat; sicuti & Lazarus, de quo paulò ante post S. Heliodorum mentionem fecimus.

42. Non deerit fortasse, qui Barsen, Eulogium, & Lazarum a bitretur, propria Monasteria pro diocesis habuisse; sed non constat, Monasteria illa Episcoporum, in quorum erant territorio, jurisdictioni fuisse subtrahita, nec patiebantur Canones duos Episcopos eisdem locis, & personis præesse. Verùm quidquid sit de facto, quodd ab Ecclesiæ praxi ordinariâ abhorret: non video, cur si non licitè, saltem validè possint Episcopi, quemadmodum & Sacerdotes sinè plebe ordinari. Quamvis enim major sit illorum, quam istorum dignitas, & potior auctoritas, non tamen ita diversus ordo, ut illis possit, illis non possit imprimi character, & conferri Spiritus sanctus cum potestate remittendi, & retinendi peccata, nullis assignatis subditis. Eo autem casu certum est, jurisdictionem ab eo conferendam, qui eos ad regendam aliquam plebem mitteret, siquidem jurisdictioni nihil aliud est, quàm subditorum assignatio.

43. Summus quidem Pontifex, cum toti Ecclesiæ præfici non possit, nisi ab eo, qui tota Ecclesiâ major est, jurisdictionem suam consequitur ex vi institutionis Divinæ, & à Deo immediatè ante omnem confirmationem, & coronationem, statim atque designatus est per electionem eorum, ad quos pertinet jus eligendi. At verò cum particularium Ecclesiarum regimen à superioribus Ecclesiasticis, præsertim à Summo Pontifice conferri possit, non est, cur pro illa collatione ad Deum immediatè recurratur.

44. At inquit nonnemo, cum Episcopi ceu Reges sint ad administrandum spirituale Regnum destinati, perinde absurdum videtur, si Episcopus sinè plebe ordinetur, ac si constituatur Rex sinè Regno, & sinè subditis; hoc est, sicut Rex non est, qui Regno caret; ita nec Episcopus, qui nulli Parochiæ præficitur. Verùm præterquam, quodd Reges, licet Regno renuntient, Regalem quandam

dignitatem retinent: & Episcopi, quamvis propriam diocesim abdicent, Episcopalem characterem non exuunt. Presbyterorum etiam est Regale Sacerdotium: nec illis frustra dicitur ab Episcopo. Accipite spiritum sanctum, quorum remisistis peccata, remittentur eis, &c. & tamen jurisdictionem ordinatione non obtinent, sed eam postmodum, vel cum titulo, vel per simplicem commissionem accipiunt.

#### PROBATIO II.

Refutatoria objectionis cujuspiam, quæ præterduntur, Episcopos, qui absque jurisdictione Episcopalis collatione fuerint ordinati, debuisse de novo consecrari, atque adeo jurisdictionem esse inseparabilem ter connexam cum characterè Episcopali.

Ita namque Author præcitatus n. 6. pergit, sequentem ex Concilij Vermeriensis Canone decimo quarto objectionem inducendo, quodd nempe ista Synodus anno 752. sic decreverat ab Episcopis ambulantis per Patrias ordinatio Presbyterorum non fiat; si autem boni sunt illi Presbyteri, iterum consecrentur: quibus verbis illas ordinationes non solum illicitas, sed etiam nullas esse significat: quandoquidem eas iterari mandat, seu Ordines conferri, quasi nunquam antea verè collatos: quia nimirum Episcopi sinè plebe non reputabantur verè Episcopi. Verùm triennio post immutatum, vel saltem temperatum est hoc decretum. Sic enim statuit Concilium Vernense anno 755. Can. 13. de Episcopis vagantibus (sive vacantibus) qui Parochias non habent, nec scimus ordinationem eorum, qualiter fuit, placuit juxta instituta sanctorum Patrum, ut in alterius Parochia ministrare, nec ullam ordinationem facere debeant, sinè jussione Episcopi, cujus Parochia est. Et si hoc sacre præsumperint, ab officio suspendantur, interim quodd ad Synodum exinde venerint, & ibidem secundum Canonicam institutionem accipiant sententiam; nisi tantum protineris causa. Et si vult Clericus, aut laicus talem Episcopum, aut Presbyterum defensaverit sinè commatu Episcopi, cujus Parochia est, excommunicatur usque ad emendationem.

Continet Canon iste Vernensis causam Vermeriensis. Dubitabatur enim, an Episcopi ambulantes per Patrias, seu vagantes verè ordinati fuissent. Ratio dubitandi erat, quia Parochias non habebant, & ab Ecclesiæ usu alienum erat, ut Episcopi ordinarentur, nisi ad certam plebem. Quamobrem majoris securitatis causâ præcepit Concilium Vermeriense, ut ordinationes ab ipsis factæ, tanquam nullæ haberentur, & si personæ idoneæ judicaretur, ab Episcopis, de quibus nulla esset dubitatio, manuum impositionem acciperent. Sed quia poterant Episcopi illi vagantes, & plebem non habentes, fuisse verè ordinati, a quibus censuit Concilium Vernense, ut utque dum in Synodo rationem pro se reddidissent, judicium de ordinationibus ab ipsis factis differretur.

Eas nullas esse, judicavit Con- siliu Ca- bilonense secundum anno 813. can. 43. dum ait; Sunt in quibusdam locis Scoti, qui se dicunt Episco- pos esse, & multos negligentes, absque licentia Do- minorum suorum, sive Magistrorum, Presbyteros, & Diaconos ordinant: quorum ordinationem, quia plerumque in simoniam incidit, & multis errori- bus subjacet, modis omnibus irritam fieri debere, omnes uno consensu decrevimus. Sed præter- quam, quod similibus verbis aliquando ex- primitur suspensio ab executione Ordinum verè receptorum, ordinationes à Scotis factæ dicuntur multis erroribus subjacere. Accedit, quod ignorabatur etiam de illis Scotis, an re- verà manuum impositione consecrati fuissent, ut triennio post Concilium Cabilonense, af- firmavit Concilium apud Celi chy anno 816. can. 5. cujus hæc verba sunt. *Quid interdicitum est: ut nullus permittatur de genere Scotorum in alienius diocesi sacrum sibi ministerium usurpare, neque ei consentire liceat, ex sacro ordine aliquid attingere, vel ab eis accipere in Baptismo, aut in ce- lebratione Missarum, vel etiam Eucharistiam popu- lo præbere, quia incertum est nobis, unde, & an ab aliquo ordinentur.*

PROBATIO III.

Quâ refellitur argumentum ex parte adversâ petitum à Chorepiscopis.

48. **A**uthor namque præcitati tractatus præf. n. 9. dicit, verum esse, quod Carolus Mag- nus ejusmodi Chorepiscopos post Leonis III. & Episcoporum Gallorum sententiam ha- buerit pro non consecratis, idque ex duplici capite. Nam Episcopi, inquit, Capitul. lib. 7. cap. 187. non erant, quia nec ad quandam Ci- vilitatis Episcopalis Sedem tributi erant, nec Cano- nicè à tribus Episcopis ordinati. Unde ingens est controversia, utrum Chorepiscopi Episco- palem Ordinem, seu manuum impositionem ad Ordinem Episcopalem acceperint, affir- mantibus alijs, alijs negantibus, alijs obser- vantibus, Chorepiscopos non fuisse omnes eod- em modo ac ritu constitutos, sed alios Epif- copali caractere fuisse insignitos, alios verò nequaquam. Verba Caroli Magni videntur illis favere, qui negant, illo saltem tempore Chorepiscopis manus, sicut Episcopis, impo- sitas. Istis enim non nisi à tribus imponuntur, ac cum depuratione ad certâ civitatis Eccle- siam. Quis autem credat, contra utrumque illud caput, tantoperè à Canonibus commen- datum, communiter ab Episcopis Chorepisco- porum ordinatoribus fore peccandum, si Ep- ilcopalem ordinationem facere intendissent?

49. Sed quidquid sit de Chorepiscoporum Or- dine, nihil refert ad questionem, quam mo- dò præ manibus habemus. Certissimum e- nim est, Chorepiscopos ad certam plebem re- gendam constitutos fuisse. Nam, ut vel ipsum nomen innuit, erant Episcopi pagorum, seu vicorum: id est, pro Episcopis extra urbem, plebi præpositi, ibique verè omnia munia E- piscopalia obeuntes, quamvis sub Episcopo civitatis. Nihil autem refert, utrum plebs,

cui aliquis præficatur, sit numerosa, vel non; in civitate, vel pago, ut sit titulus sufficiens ad ordinationem. Licet enim veterint Can- ones, Episcopus nisi in civitatibus ordinare; ordinationem tamen ex hoc capite nullam esse, non obicitur. Difficultas autem modò est, utrum defectus tituli irritam reddat Epif- scopi ordinationem? At illa in Chorepiscopis locum non habebat, ut diximus, quia territo- rium habebant, licet Episcopo civitatis sub- jectum. Nihil enim obest, eandem plebem pluribus Pastoribus subordinatis subesse.

Episcoporum auctoritatem à Summo Pontifice proficisci, aliqui adhuc probant e- xemplo Moysis, & Septuaginta virorum, quos ipse sibi tanquam adjutores in regendo populo Judæico adjunxit Num. 10. Ut enim, inquit, Septuaginta virorum auctoritas à Moysè pendeat, à quo Dominus de spiri- tu, quem ei dederat, abstulit, & in eos con- tulit, non imminuto tamen Moysis spiritu (alioquin enim non tam fuisset adjutus, & sublevatus, quam debilitatus) ita Episcopo- rum auctoritas est participatio quædam pot- estatis Summi Pontificis, ad quam velut fon- tem & originem reducenda est.

Præterea Ecclesia est status Monarchicus, cujus Monarcha Summus Pontifex eadem pol- let auctoritate in omnes, & populos Chri- stianos, & populorum Judices, & Rectores, quâ Imperator, aut Rex in omnes Principes, Provinciarum Governatores, Prætores, aliol- que Præfectos. Atqui certum est, & apud Jurisconsultos indubitatum, jurisdictionem omnem à Rege, tanquam ab origine deriva- ri, & in cæteros omnes emanare. Quid ni ergo de Summo Pontifice idem sentiamus, ut sit ipse fons jurisdictionis Ecclesiasticæ?

Accedit, quod auctoritas Episcoporum, si à Christo immediatè oriretur, æqualis foret in omnibus. Maxima autem in eo inæ- qualitas observatur; cum alij pluribus, alij paucioribus præsent, quam inæqualitatem quis alius constituit, quam is, qui Parochias instituit, eisque præfecit Episcopos, B. Pe- trus, ejusque successores in omnibus saltem illis Provincijs, quas hodie complectitur Ec- clesia?

§. III.

Utrum ex eo, quod Episcopi non sint im- mediatè à Christo missi, verè concludatur, eorum jurisdictionem non esse imme- diatè à Christo?

Referuntur ac expenduntur hæc super- re argumenta utrinque deducta, unâ cum conclusione super ipsâ reflexivâ.

ARGUMENTUM I.

50. **A**uthor cit. tract. de libert. Eccles. Gallie. lib. 2. cap. 10. ita argumentatur. 1. Apostolos omnes jurisdictionem suam à Christo imme- diatè habuisse, probatur ex eo, quod ab ipso missi sint: Sicut misit me vivens Pater, & ego misit vos. Joannis. 2. v. 21. Euntes, docete omnes gentes

Oritas  
adtra  
atolica  
VI

gentis Matthæi ult. v. 19. Ergo è contra Episcopos, qui à Christo *immediatè* missi non sunt, jurisdictionem ab ipso *immediatè* non acceperunt. Sicut enim committens commissario, ita mittens misso confert auctoritatem. Quamobrem qui ab Apostolis mittebantur, modò unius Provinciæ, modò Regni integri curam assumebant. Aliquando alios Episcopos, vel plures, vel pauciores, aliquando nullos constituere poterant. Aliquando ad certum opus, aliquando ad integrum & perpetuum regimen deputabantur, prout Apostolis, attentà Ecclesiæ necessitate, vel utilitate, videbatur.

54. Qui ab Apostolis missi fuerant, acceptæ potestatis participes alios efficiebant, juxta præscriptam sibi ab Apostolis mensuram, quam excedere non potuissent. Sive autem quis ad certum opus per aliquod tempus destinaretur, sive Pastor ordinarius statueretur, jurisdictionem habebat ab Apostolis: quemadmodum Episcopus Presbyterum alicui suæ dioceseos parti præponens, sive vicarium perpetuum eum constituat, sive ad nutum revocabilem, jurisdictionem ei tribuit.

55. Quin etiam Apostolis adscribenda erat jurisdictione Episcoporum, quos non ipsi, sed ex ipsorum concessione alij ordinabant. Sive enim defuncto Episcopo alium ipsi Apostoli substituerent, sive substituendi facultatem vicinioribus Episcopis, aut metropoleos Antistiti præberent, prout exigebat locorum vel propinquitas, vel distantia, Apostolicà id fiebat auctoritate. Nec sibi Christus reservaverat Episcoporum in singulis dioceseibus, aut provinciis constitutionem, sed regimen, & politiam Ecclesiasticam Apostolis commiserat; *constituens eos Principes super omnem terram*, cum potestate creandorum officialium, & assignandæ cuique suæ provinciæ: paucis quibusdam fortassis exceptis, quos ipsemet Spiritus sanctus elegisse videtur, ut S. Paulum & S. Barnabam, de quibus legitur in Actis Apostolorum cap. 13. v. 2. *Ministrantibus autem illis (scilicet Apostolis) Domino, & jejunantibus, dixit illis Spiritus sanctus: segregate mihi Saulum & Barnabam, in opus, ad quod assumpsi eos. Et v. 4. Et ipsi quidem missi à Spiritu sancto, abierunt Seleuciam, &c.*

#### Objectio.

56. Excipi potest ex parte adversa. Quia Apostoli *immediatè* à Christo missi sunt, rectè inferitur, ipsos jurisdictionem accepisse *immediatè* à Christo. At hujus missionis Apostolicæ, eiq̃ue annexæ jurisdictionis tabulæ fuerunt à Christo efformatæ Matth. 8. dicente: *Quodcumque ligaveritis super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcumque solveritis super terram, erit solutum & in cælis.* Hæc autem verba ad cunctos Apostolos, eorumque successores sunt directæ; veluti in progressu Concilij Tridentini argumentabantur nonnulli Theologi. Ergo in vi istorum Episcopi habent jurisdictionem *immediatè* à Christo.

#### Responsio.

AD hanc objectionem responderi solet, quæ illis verbis continetur jurisdictione Apostolica *indefinitè* ad ligandum, & solvendum potestatis Apostolis *divisim* spectatis, non nisi per personalem missionem, seu legationem concessæ, adeoque cum ipsorum (præter Petrum) personis expirantis; in ea Episcopos minime esse Apostolorum successores, sed quoad Ordinis duntaxat potestatem. Hoc Didacus Lainius Societatis Jesu Moderator tanquam Theologus Concilij Tridentini à nobis relatus in *Sess. 23. tract. 10. sess. 1. cap. 2. ad argut. 1. n. 18.* firmavit, animadvertens, cum Christus protulit recitata verba: *Quodcumque ligaveritis &c.* nondum Petrum Ecclesiæ Caput fuisse constitutum, cum adhuc dictum ipsi non fuisset: *Pasce oves meas.* Non esse igitur verisimile, Christum voluisse formare Ecclesiam quandam, & hierarchiam cum jurisdictione compluribus præcipuis ipsius membris tributâ, antequàm ipsi Caput designaret. Præterquam, quod jurisdictione memoratis verbis non in præsentia fuerit tradita, sed promissa tanquam futura, Apostolorum adeo successoribus ceu membris, à Capite futuro communicanda; perinde ac si diceret alicui Deus: *Tu eris Rex;* hinc enim conficeretur, illum à Deo proximè Regem non constitui, sed prænunciari Regnum ex hominum electione illi conferendum.

#### Iterata Adversariorum exceptio.

Excipi rursus potest. Apostolos accepisse jurisdictionem à Christo *immediatè*, non per alium quempiam communicatam. Ignor eam quoque accepisse hoc modo Episcopos illorum successores.

#### Responsio.

Lainius à nobis *suprà* allegatus n. 19. respondit, consecutionem hanc nullam esse: sicuti neque vim habet hæc alia similis: Adamus accepit à Deo corpus, & non per alium quempiam: igitur & homines pariter Adamus successores: & esse Jurisprudentium regulam, non requiri in subrogato naturam illius, cui subrogatur, nisi secundum id, quod satis est. Episcopos non esse in omnibus Apostolorum successores. Hujuscerei exemplum haberi in eodem argumento, quando, tametsi Episcopi Antiocheni Petro successerint, & Ephesi Joanni; nemo tamen agnoscebat in ipsis eam jurisdictionis amplitudinem, quæ fuerat in Petro, & in Joanne. Solum igitur Episcopos successisse Apostolis in potestate consecrandi: at verò Romanum Pontificem successisse sancto Petro in integra potestate, quam ille distribuit minoribus Præsulibus; solus Romanus Pontifex est Generalis Dei Vicarius, adeoque solus ipse à Deo proximè jurisdictionem accipit, reliqui ab ipso. Eo pacto in amplis regnis, cum Protex integram supremamque pote-

potestatem à Rege obtinet, ab eodem postea peculiare Magistratus constituit.

ARGUMENTUM II.

Pro parte affirmante, Episcoporum jurisdictionem derivari ex Papæ communicatione.

A Uthor sæpe dicti tractatus de libertatibus Ecclesie Gallicane cap. 8. n. 4. ita argumentatur 2. Quamvis Apostolis amplissima sit potestas à Christo collata, univere tamen Ecclesie Pastor constitutus est Petrus; ipse positus est domus Dei fundamentum: ipsi tradita sunt claves; ipsi commissæ sunt oves modo singulari. Quamobrem ad ipsum præcipue referenda est jurisdictio aliorum Prælatorum, ut docet S. Thomas in hæc verba Psalmi 41. Constitues eos Principes super omnem terram. Affirmat enim, quod alij Prælati constituuntur per summum Pontificem Hebraeorum. Nemo assumat sibi honorem, moxque causam insinuat his verbis; Petrus obtinuit principatum universalem Ecclesie, Ioan. 21. Pasc oves meas. Imò ab ipso solo, vel ab ejus successoribus missi sunt Episcopi in illas provincias, quibus hodie præcipue constat Ecclesia, quod jam sæpe monuimus; Præsertim, inquit S. Innocentius Episc. 1. quæ est ad Decentium Episcopum Eugubinum, cum sit manifestum, in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, ac Suetiam, Insulasque interjacentes nullum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos venerabilis Apostolus Petrus; aut ejus successores constituerunt sacerdotes. Ostendimus supra, B. Petrum Ecclesie Patriarchalibus dignitatem contulisse: ac probari posset, alias, quæ post ipsam majore autoritate prædixæ fuerunt, primos à Beatissimo illo Apostolo Episcopos accepisse, ut de Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia, Bithynia indicat prima ejus Epistola cap. 1. & cap. 5. De Constanti-nopoli S. Agapetus in Epist. ad Petrum Hierosoly-mitanum in Concil. Const. sub Menæ act. primâ de alijs, alij.

Certe qui olim in suis Parochijs, seu Pro-vincijs, aut Diocæsi-bus, vel etiam in locis cir-cumvicinis, novas cathedras Episcopales eli-gebant, jurisdictionem se novis Episcopis conferre arbitrabantur, cum ejus aliquam partem, & aliquod signum retinerent, puta futurorum quoque Prælatorum ordinatio-nem, confirmationem, convocationem ad Synodum, correctionem & similia; unde Pri-matum jus ortum aliqui arbitrati sunt, refer-vatâ Ecclesie Matrici in suas filias autoritate. Potiori ergo ratione Petro, Petrique succes-soribus tribuenda est jurisdictio Episcoporu, Ecclesie ab ipsis fundatis præficientorum. Quamobrem à sanctis Doctoribus, & à Theologis Episcoporum jurisdictio à B. Pe-tro dicitur orta. Quod non tantum deordi-nis communis, sed etiam de causalitatis, ut in scholis loquuntur, prioritate, intelligendum significant eorum verba.

Objeçtio.

EXcipi potest ex parte adversa. Multa ex-tare sacre Scripturæ testimonia, quibus Deo tribuitur Episcoporum institutio, cu-jusmodi est Apostoli dictum ad Ephesios: Po-suit Deus in Ecclesia Pastores. Et, quod dicitur in Actis Apostolorum: Spiritus Sanctus po-suit Episcopos regere Ecclesiam Dei: parabola servi fidelis ac prudentis, quem constituit Domi-nus super familiam suam: quod jurisdictionem significat: hanc verò parabolam intelligi de Episcopis, quando in ipsorum consecratio-ne usurpant hæc verba: Sit ille servus fidelis & prudens, quem tu Domine constitues super fa-miliam tuam.

Responsio.

A inius præcatus n. 20. reposuit in Patrum Concilij Tridentini Generali congrega-tione, nullo ex his testimonijs probari partem adversæ intendum. Et quidem ad primum solvendum disseruit: Pastores perinde ac cuncta reliqua bona, fuisse à Deo constitu-tos, nimirum aut per ipsam, aut per alios, eâ ratione, quâ similiter affirmatur, Princi-pes ac Magistratus laicos ab eodem esse con-stitutos, tamen non omnes ab ipso proximè. Ad Alterum testimonium progressus, petijt, quoniam pacto Spiritus sanctus Episcopos posuerat, num fortè eos ipse tulerat, & suâ quasi manu collocarat in Episcopatus Sede? Minime verò; sed per electionem habitam à populo, & per consecrationem ab Episco-pis peractam. Igitur ibi sermonem non esse de colloca-tione quadam, proximè à Deo pos-itâ. Ad Postremum: Aut efficaciam argumen-ti trahi à nuda parabola: aut ab ejus significa-tione: non certè à nuda parabola, quippe quæ non de Deo loquitur, sed de quodam patrefamilias; non ab ejus significatione, quippe cui satis est, fuisse constitutum à Deo Episcopum supra familiam suam quocunque modo, seu proximè per se, seu remotè per alios.

CONCLUSIO.

I Psa ratio Hierarchiæ per Christum in Ecclesia institutæ efficaciter probat, Episcoporum non aequè ac Summi Pon-tificis jurisdictionem esse immediatè à Christo.

Explicatur Hierarchiam, quæ proinde so-nat ac sacra principatio, seu gubernatio Eccle-siastica, esse in sancta Ecclesia, extat definitum in sacro Concilio Tridentino Sess. 23. Can. 6. ubi anathema pronuntiat aduersus illum, qui dixerit, in Ecclesia Catholica non esse hierar-chiam quandam Divinâ ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & Mini-stris. Sicuti autem vox Tò principatus, seu Tò gubernatio est correlativa, importans formaliter superioritatem, terminativè autem

M m m 3 infè-

Unitas  
catholice  
religionis  
VI

inferioritatis subordinationem, sic consequens est, in illa per sacrum Concilium Tridentinum definita Ecclesie hierarchia eam esse gradationem hierarchici ordinis, ut propterea sequenti Canone septimo eadem sacra Synodus iterum dicat anathema illi, qui dixerit: *Episcopus non esse Presbyteris superiores*. Eo ipso autem, quod in hoc utroque Canone sit sermo de hierarchia Ecclesiastica, qua Ordinis Sacramentalis duntaxat hierarchiam complectente, ideo Summus Pontifex, cujus supremus ordo constat ex caractere Sacramentali omnibus Episcopis communi, non specialem ac diversum ab Episcopis constituit Ordinis Sacramentalis gradum hierarchicum. Unde hujus ibi non *specificam*, sed *genericam* duntaxat inter Episcopos fit solummodò mentio. At præter Ordinis hierarchiam dari in Ecclesia Christi hierarchiam jurisdictionis, cujus Caput sit Summus Pontifex, indubitatum extat ex fidei principijs. Quemadmodum igitur hierarchia Ordinis Sacramentalis exigit quandam gradationem & subordinationem superioris ac inferioris, sic, ut hierarchia jurisdictionis teneatur in Ecclesia Christi, oportet, esse quandam in ea superioritatis ac inferioritatis subordinationem. At verò ex ipsis terminis constat, si jurisdictio Episcopalis æquæ ac Papalis esset *immediatè* à Deo, oporteret, utramque habere æqualis erga Christum immediate correlationem, nisi ipsemet Christus in jurisdictionibus ejusmodi designasset aliquam inæqualitatis subordinationem, quemadmodum idem Dominus noster, à quo ceu causa *principali* *immediatè* profuit omnimodus Sacramentalis Ordinis character, in hierarchia Ordinis talem posuit inæqualitatis gradationem, ut Episcopatus, utpote ultra potestatem conficiendi Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi importans potestatem quoque confirmandi & ordinandi, foret superior simplici Presbyteratu, atque hic Ordinibus Ministrorum, utpote Sacerdotis in Missæ sacrificio ministerijs ex vi sui characteris deputatorum, major esset. Ut ergo Hierarchicæ jurisdictionis in Ecclesia locus esse possit, oportet, vel Episcopalem jurisdictionem ex sui primæva origine, respectu autoritatis à Christo *immediatè* collatæ habere inferioritatis subordinationem, quod erit, si dicatur esse *immediatè* à Papa, vel si contendatur, esse *immediatè* à Christo, oportet, ab hoc esse constitutam cujusdam inter Papalem & Episcopalem à se *immediatè* institutam jurisdictionem inæqualitatis subordinationem. Dum igitur hoc posterius ostendi non potest, consequenter prius erit omnino asseverandum.

## PROBATIO I.

Qua ostenditur, nullam posse demonstrari hierarchiæ inter Papalem & Episcopalem jurisdictionem subordinationis inæqualitatem, si hæc posterior sit *e-tiam* *immediatè* à Christo.

65. Neque enim ex Dei verbo vel scripto, vel

palis jurisdictionis *immediatè* à Christo institutio, nisi hæc derivetur in Christi verba *Matth. 18.* ad Apostolos prolata: *Quidquid ligaveritis super terram, erit ligatum & in calis; & quidquid solveritis super terram, erit solutum & in calis;* quasi hæc Christi verba non solos Apostolos, sed cunctos Episcopos ceu Apostolorum successores complecterentur. At si res ita haberet, conferendo ea Christi verba cum verbis Domini *Matth. 16.* ad Petrum definitè pronuntiantis: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in calis; & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in calis;* inde reperiretur cunctis Apostolis promissa *indefinita* ligandi & solvendi potestas super quocumque supra terram protensa. Quod si ergo illa Christi promissio cunctos Episcopos, ceu Apostolorum successores attineret, neque ex parte primævæ suæ originis; neque ex parte limitum potestatis tum Episcopalis, tum Papalis per Christum circumscriptorum reperiri jam posset alicujus inæqualitatis hierarchicæ subordinationis. Unde quemadmodum in Ordinis Sacramentalis hierarchia Papalis dignitas non fecit aliquem gradum superioritatis, quippe cum Papa non habeat characterem ordine Episcopali sublimiorem, sic inter Episcopalem & Papalem jurisdictionem nulla jam esset hierarchica subordinatio, si sub præadductis verbis Christi esset instituta Episcopalis jurisdictionis. Ne igitur in hoc cum fide minimè conveniens absurdum prelabamur, insistendum prorsus est doctrinæ à nobis alias traditæ, illa Christi Domini verba: *Quæcumque ligaveritis &c.* quatenus Apostolos *sigillatim* ac *diversim* concernebant, spectare ad Apostolicam super toto terrarum orbe *indefinitam* super quocumque in terris *Moralis* protensam potestatem, quæ illis concessam per modum legationis duntaxat personalis, in successores adeo minimè transferibilis. At hoc taliter constituto, nullus jam superest sacri Evangelij textus, ex quo probari valeat Episcopalis jurisdictionis à Christo *immediatè* facta, ad successores transferibilis institutio, sed successio hujusmodi soli Petro sub ordine scilicet ad perpetuum Ecclesie statum protenso noscitur à Christo promissa fuisse. Quandoquidem igitur per Dei verbum nequeat Episcopalis jurisdictionis in Christi institutionem *immediatè* reduci, non potest jam ejusdem origo demonstrari, nisi quoad sui *actuale* collationem reducatur in Petri Successorum, in partem sollicitudinis secundum fines ac limites ab ipsidem circumscriptos ac circumscribendos vocantium, Apostolicam auctoritatem.

## Objectio.

66. Dices. Hinc fore consequens, quod hierarchia Ecclesiastica jurisdictionis non esset ex toto *Juris Divini;* sed in ejus primo duntaxat Capite, Romano scilicet Pontifice.

656

Re-

Responsio.

67. Ad hoc solide decernendum, alia est habenda ratio ipsius hierarchiæ, quæ sacrum principatum importantis, atque hanc tam quoad suam originem, quam formalem sui rationem, ac specificationem intrinsecam, imò & actualem sui erga certum subiectum applicationem, seu collationem sub prævia licet humanæ electionis designatione faciendam, esse Juris Divini immediati, ex indubitatis fidei principiis profus certificamur. Alia proinde habenda est ratio hierarchicæ in Ecclesiastica jurisdictione erga hierarchicum priuatum subordinationis, importantis gradus tum Patriarchatus, & Primatus, tum Archiepiscopalis, ac Metropolitanæ præminentia, tum simplicis Episcopatus. Qui equidem gradus universi, si spectentur in sua activa origine, eum deriverunt ex Papali autoritate per Christum immediatè constitutâ, ut sic quasi casualiter & originativè rectè dicuntur esse Juris Divini, quamvis in se ipsis formaliter, & quoad sui originem quasi passivam, sive quoad sui ex Papali nempe autoritate promanantem, & suis limitibus circumscriptam institutionem, & à fortiori quoad sui actuali collationem, non nisi mediatè sint Juris Divini.

PROBATIO II.

In qua per sanctorum Patrum testimonia ostenditur Episcopalis jurisdictionis origo esse ex Papali autoritatis communicatione, atque adeò solum mediatè esse Juris Divini à Christo instituti.

68. Digna est, quam hic amplectamur, industria Authois tractatus de libertatibus Ecclesiæ Gallicane lib. 8. cap. 10. à n. 6. præfens intentum nostrum probantis sequenti Patrum, & Ecclesiæ Doctorum inductione. Sanctus nempe Optatus Milevitanus lib. 7. contra Parmenianum; bono unitatis, inquit, B. Petrus (cui satis erat, si postquam negavit, solam remanere consequeretur) & præferri omnibus Apostolis meruit, & claves Regni cælorum communicandas cæteris solus accepit. Non ergo præferri omnibus Apostolis meruit solius honoris ordine: sed & claves regni cælorum solus accepit. Si solus; non ergo alij cum eo, saltem eodem prorsus modo imò ex his verbis, communicandas cæteris, inferunt aliqui, Petrum ipsum immediatè cæteris etiam Apostolis claves, seu jurisdictionem communicasse. Sed cum S. Optatus non exprimat, à quo faciendâ esset communicatio, præstat, ejus verba cum distributione accommodâ interpretari, ut Apostolis quidem Christus, alijs autem Prælati Petrus, vel cum Petri consensu, reliqui Apostoli communicaverint.

69. Sanctus Gregorius Nyssenus adversus eos, qui castigationes ægre ferunt, id tradit de Episcopis, his verbis; Nihil falsi, aut mendaci scriptum est in Evangelij, neque Christi prædictio exitum fallacem habet. Per Petrum Episcopis dedit clavem cælestium honorum. Non in Petro solum, sed per Petrum Episcopis.

70. Sanctus Innocentius in Epist. ad Concilium

Carthaginense. quæ est 91. inter epistolas S. Augustini, asserit, quod à B. Petro ipse Episcopatus, & tota autoritas nominis hujus emerfit. Et in Epistola ad Concilium Milevitanum, quæ est 93. inter S. Augustini Epistolas. Præsertim, inquit, quoties fidei ratio ventilatur, arbitror, omnes fratres, & Coepiscopos nostros, non nisi ad Petrum, id est, sui nominis, & honoris autorem, referre debere. Hæc verba autoritas, & autorem, aliquid specialius, quàm prioritatem Ordinis sine dubio designant.

71. Stephanus Episcopus Larissæ in Thesalia ad Bonifacium II. scribit apud Labbeum; Quia Domino dicenti tertio. Amas me? Pasce oves meas, tradidit prius vobis mandatum ostendens, & per vos deinde omnibus per universum mundum sanctis Ecclesijs condonavit.

72. Sanctus Leo Magnus eundem sensum apertius declarasse videtur Serm. 3. de assumptione suâ his verbis; Magnum & mirabile, dilectissimi, huic viro (Petro) consortium potentia suæ tribuit Divina dignatio: & si quid cum eo commune cæteris voluit esse Principibus, nunquam nisi per ipsum dedit, quidquid alijs non negavit. Non poterant verba majoris energie adhiberi, quàm ista; nunquam nisi per ipsum dedit, quidquid alijs non negavit. Et alibi; Hujus muneris (scilicet prædicationis veritatis) sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium voluit pertinere, ut in Beatissimo Petro Apostolorum omnium Summo principaliter collocaret, ut ab ipso quasi quodam Capite dona sua velut in corpus omne diffunderet. Epist. 89. quæ est ad Episcopos Provincia Viennensis.

73. Ioannes Episcopus Ravennas in Epist. ad Greg. Mag. quæ habetur post epistolam 94. lib. 2. seu 55. indictionis 11. ejusdem Pontificis, sic se apud illum excusat; Et quibus causis ego sanctissima illi Sedes, quæ universali Ecclesiæ jura sua transmittit, præsumperim obviare, propter cuius conservandam autoritatem, &c.

74. Id ipsum docet expressè S. Thomas in 4. Sentent. dist. 19. quest. 1. art. 3. quest. 1. Ad primum ergo, inquit, dicendum, quod ad solutionem requiritur duplex potestas, scilicet potestas Ordinis, & potestas jurisdictionis. Prima quidem potestas est æqualiter in omnibus Sacerdotibus, non autem secunda. Et ideo, ubi Dominus Joannis 20. dedit omnibus Apostolis communiter potestatem remittendi peccata, intelligitur de potestate, quæ consequitur Ordinem, unde & sacerdotibus, quando ordinantur, illa verba dicuntur; sed Petro dedit singulariter potestatem remittendi peccata Matth. 16. ut intelligatur, quod ipse præ alijs habet potestatem jurisdictionis. Potestas autem Ordinis, quantum est de se, se extendit ad omnes ab solvendos, & ideo indeterminatè Dominus dixit; Quorum remisistis peccata, intelligens tamen, quod usus illius potestatis esse deberet præsuppositâ potestate Petro collatâ secundum ipsius ordinationem. Nonne ordinatio Petri pro usu potestatis remittendi peccata est collatio jurisdictionis? Id clariùs explicat S. Doctor lib. 2. contra Gentiles cap. 6. Petro soli promisit, tibi dabo claves Regni cælorum, ut ostenderetur potestas clavium per eum ad alios derivandâ ad conservandam Ecclesiæ unitatem.

75.

Non minus aperte eandem doctrinam tradit S. Bonaventura Opusc. Quare Fratres Minores prædicent; & confessiones audiant; Proprius, inquit, sacerdos dicitur, cui quisque specialiter gubernandus est, commissus ab Ecclesia vice Dei. Prætermisissis igitur diversis distinctionibus, quatuor sunt cuiusque plebis Parochialis proprii Sacerdotes. Primus & præcipuus est Summus Pontifex, cui tota Ecclesiastici gregis cura singularissimè commissa est, ita quod omnes inferiores Ecclesiæ Rectores, curam, & totam potestatem, quam habent super subditos, ab ipso accipiunt mediatè, vel immediatè.

## P R O B A T I O III.

Prioris continuativa ex testimonijs Theologorum.

76.

AUTHORIS præcitati seq. cap. 11. à n. 3. par industria in congerendis Theologorum sententijs, singulari cum laude hic inferenda nobis visa est. Illam igitur doctrinam nostram solidè adstruit Herveus Natalis Brito, Ordinis S. Dominici in tractatu de potestate Papæ, sub cuius initium ait; Quidam ignominiosè potestatem Sedis Apostolicæ, vel contemnentes eandem, querentes suam potestatem statuere, & indebitè ampliare, nolunt recognoscere, suam potestatem esse à Sede Apostolica, nec eam volunt recognoscere, sicut prædictà potestate Sedis Apostolicæ stabilitam, dicentes, potestatem Episcoporum & Curatorum æquè esse immediatè à Deo, sicut potestatem Sedis Apostolicæ, & potestatem prædictorum Episcoporum & Curatorum non esse à Papa, sed immediatè à Christo, quod erroneum iudico, ut infra patebit. Ad huius ergo erroris exclusionem videnda sunt quedam in generali de potestate Iurisdictionis. Hervei doctrinam S. Antoninus, quamvis Archiepiscopus, suam facere non dubitavit parte 2. Summæ Theologicæ tit. 22. cap. 3. cuius §. quintum sic inchoat; De plenitudine potestatis Papalis & Iurisdictionis erga alias potestates inferiores, ut Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, & Parochiales Curatos. Vbi sciendum secundum Herveum in dicto Tractatu, quod omnis potestas Ecclesiastica alia à Papali subest ei quoad tria. Primò quantum ad correctionem abusûs. Secundò quantum ad institutionem, & collationem ipsius potestatis inferioris. Tertio quoad subsidium administrativum, &c. Vide, si lubet, ibi, & tit. 3. cap. 11. §. 14.

77.

Ut autem Scriptores Gallicanos prosequamur. Eandem sententiam amplexus est pluribus in locis, veritatis magis, quam augendæ propriæ dignitatis studiosus Egidius Columna, Bituricensis Archiepiscopus, Aquitanæ Primas. Videti potest in lib. de renuntiatione Papæ cap. 8. & alibi. Sed majoris ponderis est ejus suffragium in opere, in quo Iurisdictionis Episcopalis fundamenta firmius stabilire, operæpretium erat; scilicet ubi exemptiones impugnat, vel potiùs earum abusus, nempe Opusc. contra exemptos, in cuius cap. 2. sic scribit; Cùm Pontifices & Episcopi sint opera sapientiæ Summi Pontificis, quia per eum, vel per authoritatem ejus sunt, assumpti in partem sollicitudinis, &c. Vide ibidem cap. 25.

Thomas ab Argentina Theologiam Parisijs professus circa annum 1445. dist. 25. quæst. 1. art. 2. Cùm igitur, inquit, Iurisdictionis spiritualis cuiuslibet sacerdotis dependeat à Summo Pontifice, apud quem solum residet Iurisdictionis plenitudo, tam in fieri, quàm in conservari, ipse enim quætidie potest dare & auferre huiusmodi Iurisdictionem, prout ad statum Ecclesiæ gubernandum ipse videtur expedire: ideo potestas excommunicandi, quæ præcisè inmittitur Iurisdictioni, dependet à potestate Ecclesiæ, seu Summi Pontificis non solum in fieri, verùm etiam in conservari, quia non dependet minus illud, quod inmittitur, quàm dependet illud, cui inmittitur. Et eadem ratione potestas absolvendi in foro penitentiae, in quantum inmittitur Iurisdictioni, dependet tam in fieri, quàm in conservari à potestate Ecclesiæ. Et hinc est, quod subtrahà Iurisdictione per sententiam Iuris, vel Iudicis à Pralato, vel Sacerdote, tunc non possunt excommunicare, nec penitentias salutare inungere, & si de se dolo attentant, irritum est & inane, quod faciunt; quia potestas, quæ hæc facere debent, non est eis conservata, sed potiùs irritata ab eo, à quo dependet huiusmodi potestatis conservatio.

Ioannes à Celajà in 3. sentent. dist. 25. quæst. 7. idem sentit etiam de Apostolis, & explicat, probatque in hunc modum; Quæritur septimò circa eandem distinctionem, utrum à Romano Pontifice derivetur ad omnes alios Pralatos Ecclesiæ potestas Iurisdictionis? Ad hanc difficultatem respondetur affirmativè. . . . . Iam probatur eadem responsio per rationes. Prima est talis. Ceteri Apostoli à Petro non habuerunt oves subditas immediatè à Christo: ergo non habuerunt immediatè potestatem Iurisdictionis à Christo. Antecedens patet, quia soli Petro Salvator vultus dedit oves Ioann. ult. cap. & nulli alteri: ergo non habuerunt oves immediatè à Christo. Secunda rationalis est: in omni principatu potestas Iurisdictionis derivatur ad quamcunque personam à Monarcha talis principatus, teste D. Dionysio, tam in lib. de celesti Hierarchia, quàm de Ecclesiastica Hierarchia. Sed Papa est Monarcha in principatu Ecclesiastico, ut probatum est superius; ergo ab ipso derivatur potestas in omnes alios Pralatos Ecclesiæ. Tertia rationalis est: teste eodem Dionysio in libris allegatis, Ecclesiæ nostræ militans ordinata est ad instar celestis hierarchiæ: sed in celesti Hierarchia est unus Monarcha, scilicet Dominus Deus, à quo derivatur potestas in omnes alios: ergo ita erit in Ecclesiastica Hierarchia: & non est ponendus alius à Pontifice Romano. Deinde solvit objectiones, siquæ responderet; Arguitur authoritate Divi Bernardi in lib. de consid. ad Eugenium Papam dicentis; Erras, si, ut summam, ita & solum institutam à Deo, estimas tuam Apostolicam potestatem: ergo alia potestates à Papatu sunt institutæ à Deo, & per consequens potestates aliorum Pralatorum Ecclesiæ non derivantur à Romano Pontifice. Pro huius argumenti solutione est advertendum, quod in quolibet Pralato Ecclesiæ possumus duo considerare, scilicet dignitatem in se, & dignitatem huius persone dignitas in se immediatè est instituta à Deo; dignitas autem huius persone, id est, quod ista persona habeat istam dignitatem, sine potestatem Ecclesiasticam, non est à Deo immediatè, sed

mediante Romano Pontifice, qui voluit istum instituere in Episcopum, vel rectorem. Quamvis talis potestas sit mediata à Deo, tunc à illud Pauli ad Romanos 11. Omnis potestas est à Deo; isto notato, respondetur ad formam argumenti, negando ultimam consequentiam. Nam licet dignitas Episcopalis, sive Rectoralis sit instituta à Deo: non tamen est institutum à Deo immediate, quod iste habeat dignitatem Episcopalem, vel Rectorem, sed à Romano Pontifice.

80. Michael Maudcler parte 2. de Monarchia lib. 4. cap. 10. eandem tradit doctrinam. Marcum Antonium de Dominis Episcopum Spalatensem contrariam amplectum, confutandum sibi in hoc etiam puncto duxit Nicolaus Coeffereau Episcopus Massiliæ nominatus disputatione quinti capitis lib. 2. Spalatenfis.

81. Ioannes Puteanus Reginus in Academia Tolofana Theologiæ Professor in 2. 2. S. Thomæ q. 1. a. 6. dub. 3. in respons. ad 1. object. & ad instantias, jurisdictionem Episcoporum à Deo mediate derivat, à Summo Pontifice immediate. De lege namque communi Episcopi suam dignitatem consequuntur à Deo per dependentiam à Summo Pontifice, adeo, ut potestas Episcopalis de jure communi pendeat intrinsicè, & ex ordinatione Divinâ à potestate Summi Pontificis. ... Hæc autem est in Episcopis modo ordinario, atque adeo cum dependentia à Summo Pontifice, penes quem est limitare jurisdictionem Episcopalem, ut definitum sui multat. Et adhuc infra; Nihil accipit Pontifex Maximus ab Ecclesia, sed à solo Deo. Ecclesia autem illud omne, quod habet, à Pontifice Maximo proximè & immediate mutuatur; remotè verò, & mediate à Deo.

82. In specimine Juris Ecclesiastici apud Gallos recepti Joannis Doujat Antecessoris Parisiensis, extat Tractatus Privilegiatorum, quæ exemptiones dicuntur, Authore Ioanne Lomedè in Senatu Parisiensi Patrone, in cujus cap. 3. num. 12. supra dicta doctrina traditur. Episcopi (licet, quod singulariter alloquendo Petrum, omnibus futuris Episcopis loqueretur) sum à Summo Pontifice tanquam Christi ministro, & Capite Ecclesiæ electi, assumpti & instituti, quorum Summorum Pontificum est, dividere, & unire Dioceses, & imponere curam, &c.

83. Numero autem 13. ait idem Lomedè; Glossa Pragmaticæ sanctionis in capite Licet. in vers. Reservaciones. De electione. tenet per Cap. Pato. 1. quæst. 7. & cap. Mandata. De præsumption. Episcopos in suis Diocibus Vicarios esse Papæ. Ideo Legatos & Delegatos suos esse majores Ordinarios.

84. Non ergo augendæ propriæ dignitatis desiderio tribuendum est, quod recentiores Pontifices declararunt, Episcoporum honorem, & jurisdictionem à sancta Sede effluere. Ac si quis eorum testimonia recusat, quod in propria causa loquantur: cur non rejiciatur etiam Episcoporum contrarium sententium auctoritas, cum non minùs proclives sint inferiores ad amovendum subjectionis jugum, quam superiores ad amplificandam suam dignitatem? Cui igitur major hæc in parte fides debetur Episcopis Gallicanis, quam Sixto V. Papæ, cujus hæc sunt verba constitut. 74.

an. 1587. undecimo Kal. Febr. in institut. Congregationis pro consultationibus Episcoporum, & aliorum Prælatorum §. 1. Quare ut ab Apostolica Sede, à qua tanquam à Matre honorem, & jurisdictionem acceperunt, sibi, cum opus erit, auxilium, præsidiumque paratum esse intelligant, ut greges suos tantò fructuosius pascant, quinque itidem Cardinales præponimus Episcoporum, & aliorum Prælatorum consultationibus audientis.

Nemo hæcenus Bullas provisionis recusat, eò quod in hac forma essent, quæ jurisdictionem Episcopo à Summo Pontifice conferri significant; *Providemus Ecclesiæ N. de persona N. & præcimus eum in Patrem & Pastorem, ac Episcopum ejusdem Ecclesiæ, committentes ei administrationem in temporalibus, & spiritualibus.*

§. IV.

Corollarium.

85. EX dictis inferitur, Ecclesiæ Gallicanæ libertati haud deservire posse illam de Episcoporum à Christo immediate acceptâ jurisdictione sententiam, nisi invertere, imò evertere simul velint Ecclesiastica jurisdictionis hierarchiam. Probat hæc cillatio. Quamdiu namque manet inconcussa Sedes Apostolica Primatus, cui omnimodam Episcopalem jurisdictionem, si non quoad primæviam suæ vel institutionis, vel etiam collationis originem, saltem quoad morale suum exercitium oporteret esse subordinatam, tamdiu negari non posset, Apostolicam Romani Pontificis auctoritatem, super quocunque in regnum cælorum ordinabili Morali protensam, complecti etiam quocunque Morale jurisdictionis Episcopalis exercitium, atque adeo istud esse subjectum indefinitæ Petro, ejusque Successori per Christum promissæ ad solvendam & ligandum potestati. Atque hoc posito, non posset jam negari Papæ auctoritas ad solvendum decreta qualiacunque ex Episcopalibus jurisdictionibus profluentia. Quemadmodum igitur omnes Angelorum hierarchiæ & ordines à Deo immediate constituti, eam nihilominus in se habent subordinationem Divinitus etiam sancitam, ut inferiores Angeli in exercitio suorum Divinitus licet institutorum munitorum dependant à superioribus: sic dato etiam, institutionem Episcoporum esse immediate juris Divini, haud obinde sequitur, Pontificis Romani Oecumenicam respectu totius Ecclesiæ, atque adeo Episcopis superiorem, potestatem & auctoritatem nihil posse statuere circa horum officia, potestatisque exercitium, nisi Ecclesiæ hierarchiam, seu Primatum penitus evertere cogitent, quod tamen ab ipso intento alienissimum esse, in suis declarationibus solenniter contestatus est Clerus Gallicanus.

